



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

4. De ijs quæ parentes filijs debent.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14007**

implere. Hæc Antoninus *part. 2. tit. 2. cap. 7. §. 3. & cap. 8. Navar. in Man. cap. 14. nu. 16.*

Nono quaeritur, an filius iure pietatis cogatur bonorum suorum iacturam pati, ut parentes liberet à pœnis Purgatorii, quas sustinent? Respondeo: aut magnum & notabile est detrimentum, aut paruum & leve. Si primum, iure non cogitur tantum bonorum detrimentum pati: nam consilio Confessarii, vel pii alterius viri tuta conscientia potest subsidium parentibus debitum differre: tamen enim ignis Purgatorii pœna sic gravis, filius tamen non debet tam gravem bonorum iacturam facere: Si secundum, iure pietatis debet, cum primum commode potest, parentibus operam & subsidium ferre.

Decimo quaeritur, an filius debeat vota, quæ pater fecerat, exsolvere? Hanc quaestionem supra diluimus, cum de voto ageremus *p. 1. c. 15. q. 5.* Illud in præsentia dixisse sufficiat, vota quæ realia vocantur, à filio esse persolvenda, quoniam cum hæreditate ipsa ad filium deveniunt. Vota vero quæ personalia dicuntur, nullo iure cogitur filius exsolvere, quia vna cū persona patris finiuntur, ac cessant. Quo fit, ut vota patris si mixta fuerint, partim exsolvere, partim relinquere filius debeat, aut possit: nam ex ea parte qua sunt realia, eatenus persolvenda à filio sunt: qua vero personalia, obitu patris iam extincta cessant. Sylvest. *verbo hæreditas. 3. q. 10. ex communi aliorum sententia.*

Undecimo quaeritur, an filius cogendus sit ad debita patris quæ contraxerat, solvenda, quando hæreditatis facultates excedunt? Respondeo: in foro conscientie filium ad id nullo iure compelli: nam hæreditas est deductio ære alieno: Si igitur æs alienum quod pater contraxit, hæreditatem exsuperat, cum nulla hæreditas ex patre ad filium perveniat, liber est filius ab ære alieno solvendo, quia nihil habet ex bonis paternis unde solvat. Si autem maior est hæreditas, quam æs alienum, tunc à filio debet solvi æs alienum, quod pater contraxit, quia hæreditas, ut ante iam dixi, non est, nisi deductio ære alieno.

Duodecimo quaeritur, an filius iure cogatur solvere debita, quæ pater contraxerat, cum ad filium non deveniunt nisi bona primigenitorum vinculo adstricta? Notandum est, dictum heredem non plenum dominium habere, eo quod ea bona sint certo quodam vinculo colligata, & ad primogenitum filium iure hæditario in perpetuum transfusa. Nam primigenia sunt iure debita filio natu primo & maximo: ac proinde primogenitus eorum bonorum, dum vivit, plenam administrationem, & usum fructum habet.

Hoc posito, respondeo: Aut pater æs alienum contraxit post primogenitorum ius institutum, aut ante. Si primum, tunc filius non cogitur æs alienum solvere, nisi ex fructibus, aut redditibus annuis bonorum immobilium: neque enim pater quamvis primogenitorum institutor, potuit iure bona immobilia creditori obligare: cum illa primogenito essent filio debita. Si vero secundum, tunc filius debet æs alienum solvere, tamen si oporteat eum vendere aliqua bona immobilia, eo quod æs alienum contractum est ante ius primigenitorum institutum, ac proinde non potuit pater cum damno, & detrimento creditoris bona primogenito filio obligare.

#### CAP. IV.

##### De iis, quæ parentes filius debent.

**A** Nimaduvertendum est, tria potissimum filio patrem debere: primum quidem alimenta: deinde institutionem in Fide, religione & bonis moribus, tertio curam, studium & diligentiam, ut in certo vitæ statu, pro conditione personæ filius colloceatur.

Primo quaeritur, Quo iure pater filio alimenta debeat? Respondeo ex communi omnium sententia, quam habet Covarr. *in epitom. p. 3. cap. 3. §. 6. num. 1.* iure naturali, quod ex ipsa naturæ propensione, quæ est homini cum bellis communis ortum habet: nam feræ etiam, alioqui sævæ

& immanes, filios nutriunt. Quare quamdiu filii infantes, ac teneri sunt, aut pueri, omnino ali debent à parentibus, donec adoleverint. Præterea etiam postquam fuerint adulti, si inepti sint prorsus & inhabiles ad sustentandum, nimirum, quia sunt, vel mente, vel membris capri, vel aliqua alia incommoda corporis valetudine impediti, parentes omnino eos alere debent: nam penitende se habent, ac si adhuc essent infantes: nec huic iuri vlla lex humana derogare potest. Si tamé filii adulti sint, & vel per se sustentare se ipsos possint, vel aliunde per alios quoslibet, tunc parentes non tam arcto & stricto naturæ iure eis alimenta debent, sed ex æquitate naturali, & iure communi scripto, tum civili, tum Canonico, ut statim probabo.

Secundo quaeritur, Quidnam alimentorum nomine Canones, Leges, & Iura intelligantur? In primis, omnia quæ pertinent ad cibum & potum: deinde quæ ad vestitum & lectum: tertio, quæ ad habitationem *ff. de aliment. & cib. legat. & l. verbo victus. ff. de verb. signif. postremo quæ ad medicinas, ut est communis opinio Doctorum, & habent Dynus, Cynus, Bald. Imola, teste Pontano *tract. de aliment. cap. 1.* Nimirum, sine victu, vestitu, & habitatione non vivimus. Tamen etiam cum recte valeamus, medicinis minime indigemus, nihilominus quando adversa sumus valetudine, necessariae sunt nobis medicinæ: nam quia vita hominum est morbis obnoxia, ideo appellatione alimentorum intelliguntur etiam medicinæ, quibus incommoda corporis valetudini succurritur. Ang. Rosel. Sylvest. Tabien. *Amil. in verb. alimenta. ex l. verbo victus. ff. de verb. signif. item, quæ ad disciplinam, & artes honestas addiscendas spectant. l. qui filium. ff. de pupil. educari & mora. debeat.**

Tertio quaeritur, an matres quæ proprio lacte filios non alunt, lethaliter peccent? Ratio dubitandi est, quod Gregorius, teste Gratiano *distin. 5. cap. ad titus*, manifeste ait pravam irrepressibilem consuetudinem, ut filios suos, quos gignunt matres, nutrire negligant: eosque ad nutriendum aliis mulieribus tradant. Respondeo, id si iusta ex causa faciant matres, nullum ea re peccatum contrahere. Iusta autem causa censetur hæc omnes, quæ sequuntur: cum mater admodum est natura imbecillis, ita ut vix sine vitæ dispendio, ac periculo lac filio præbere queat. Navar. *in Man. c. 14. nu. 17.* Covarr. *in epitom. par. 2. c. 8. §. 6. num. 13.* ex Azone, Baldo, Paulo, Barto. Abbate & Præposito, quos refert Covarruias. Deinde, cum mater adeo est inops, ut aliunde sibi victum quaerere & parare debeat. Navar. *ibidem.* Cum item mater adeo est nobilis atque illustri, ut eam non deceat proprio lacte filium nutrire, hoc locum habet iis in locis, in quibus est more & usu receptum, ut feminae illustri generæ nate, filios proprio lacte non nutrant. Azo, Baldus, Bartolus, Abbas, Præpositus, quos citat Covarruias, loco citato. Demum teste Abbate *in c. cum habere*, quando mortuo viro, vel diuortio facto, mulier est in monasterium ingressa ut vitæ studeat religiose. Item, quando mater sine dedecore & infamia filium lactare non potest. Alioqui vero mater peccat, filium vberes suo & lacte non alens: siquidem id Gregorius, alique scriptores Ethnici, & à Christi fide alieni reprehendunt, tanquam prava consuetudine introductum.

Si tamen quaeras, an matres familias, quæ sine iusta causa atque legitima filios suos alieno, non proprio lacte nutriunt, lethaliter delinquant? Respondeo non esse hoc facile ac temere, ut lethale peccatum, damnandum; præsertim si mulieribus bonæ vitæ, ac morum tradantur, à quibus diligenter ali solent. Navar. ut lethale non improbat. Nam etsi Gregorius loco prædicto pravam eam esse dicat consuetudinem, & Gellius, Macrobius, & Plutarchus, ut statim ostendam, scribant esse contra naturam, non tamen lethalis culpa videtur, sed venialis duntaxat, quamvis non levis & parva: neque enim pietas, vel charitas debita filio graviter violatur, cum is gravi damno non afficiatur.

Quarto quaeritur, An mater familias iustam habeat excusationem, quæ filium alieno lacte nutriendum curat,

non atia de causa, nisi quia animaduertit more, & vñ receptum, aitas suæ conditionis matres id facilitare? Respondeo, iustam excusationem habere, eo quod vetus iam satis, & non recens inducta est eiusmodi consuetudo, & præcise iustam excusationem affert, etiam si alia causa non subit.

Quinto quaeritur, an sit contra naturam, si mater filium infantem alteri mulieri tradat eius lacte nutriendum? De hac quaestione Tiraq. in tract. de nobilit. c. 20. n. 76. Macrobius lib. 5. Saturnali. c. 11. docet esse contra naturam. Hoc est, inquit ille, quod providentia natura fecit cum ipso partu alimonia copiam nafci: nam postquam sanguis ille opifex in penetrabilibus suis omne corpus effraxit, atque aluit, adueniente iam partus tempore, idem ad corporis materni superna concendens, in naturam lactis ablescit, ut recens natus idem sit altor, qui fuerat fabricator. Et Plutarchus in opus. De liberis educandis, ait: Ideo duo data sunt vbera matribus, ut si mater vno partu gemellos edidisset, vterque haberet sui alimentum fontem. Apud Gellium libro duodecimo Noct. Attic. capitul. primo, refertur fecim Phaurorini Philosophi, quo iussit nobili femina, ut liberos, quos peperisset, non nutricum adhiberetur, sed suo ipsa lacte nutriter. Quod est, inquit, hoc contra naturam imperfectum atque dimidiatum matris genus, peioris, ac statim ab se abiescit, aluisse in vitro, nescio quid, quod non videret, non alere nec suo lacte, quod videret, iam videntem, iam hominem, iam matris officia implorantem? An tu quoque, inquit, putas naturam feminis mammarum, vbera, quasi quosdam nauulos venustiores, non liberorum alendum, sed ornandi pectoris causa dedisse? Sic enim, quod à nobis scilicet abest, plerumque ista prodigiosa mulieres fontem illud sanctissimum corporis, generis humani educatorem arfacere, & extinguere cum periculo quoque anersi corruptique lactis laborant, tanquam pulchritudinis sibi insignia deuenisset: quantum hinc abest, iam perfectum, iam genicum, iam filium proprii atque consueti, atque cogniti sanguinis alimonia priuare? Sed nihil interest (hoc enim dicitur) dum alatur, & viuatur, cuius id lacte fiat. Cur igitur iste qui hoc dicit, si in capessenda natura sensibus tam obscurus, non id quoque nihil interesse putat, in corpore cuiusque ex sanguine concreuit homo, & coalitus sit? An qui à spiritu milio, & colore exaluit, non idem sanguis est nunc in vboribus, qui in vitro fuit? Nonne hac quoque in re solentia natura excidens est, quod postquam sanguis ille opifex in penetrabilibus suis corpus hominis finxit, adueniente iam partus tempore, in superna se partes profert, & ad fouenda vita atque lucis rudimenta praesto est, & recens natus notum & familiarem victum offert.

Quamobrem non frustra creditum est, sciti valere ad fingenda animi atque corporis similitudines, vis & natura feminis, non scies ad eandem rem lactis quoque ingenia, & proprietates valere. Neque in hominibus id solum, sed in pecudibus quoque animaduertitur. Nam si ouium lacte hœdi, aut caprarum agni alerentur, constat ferme in his lanam duriorum, in illis capillum gigni teneriorum. In arboribus etiam, & frugibus maior plerumque vis, & potestas est ad earum indolem, vel detrectandam, vel augendam aquarum, atque terrarum, que alunt, quam ipsius, quod iacitur feminis. Ac saepe videns arborem latam, & nitentem in locum alium transpositam deterioris terra succo deperisse. Quæ (malum) igitur ratio est, nobilitatem istam nati modo hominis, corpusque, & animum benigne ingenitum primordiis inchoatum, in istum degenerare alimentum lactis alieni corrumpere? Præsertim si ista, quam ad præbendam lac tunc adhibetur, aut serua, aut seruis, & ut plerumque solet, externa atque barbara nationis, si improba, si informis, si impudica, si temulenta est. Nam plerumque sine discrimine quacunque id temporis lactans est, adhiberi solet. Patiemur ne igitur infantem huic nostrum pernicioso contagio inficit, & spiritum ducere in animum atque in corpus suum ex corpore, & animo deterimo? Id ipsum est, quod saepe numero miramur, quosdam pudicarum mulierum liberos parentum suorum neque corporibus, neque anima similes excipere: quoniam videlicet, in moribus molestantibus magnam fere partem ingenium al-

tricus, & natura lactis tenet, qua iam à principio imbuta paterni seminis concreione, ex matris etiam corpore, & animo recentem indolem configurat.

Et præter hæc, quis illud etiam negligere a spernarique possit, quod qua partus suos deserunt, ablegantque à se, & aliis nutriendos dedant, vinculum illud coagulatumque animi, atque amoris, quo parentes cum filiis natura confociat, interscindunt, aut certe quidem diluunt deseruntque? Nam ubi infantis altor sum dati facta ex oculis amolito est, vigor ille materna fragrantia sensim, atque paulatim resinguntur, omnisque impatiensissima sollicitudinis strepitus consilescit. Neque multo minor amandati ad nutricem alium filii, quam morte amissi obliuio est: ipsius quoque infantis affectio animi, amoris, consuetudinis in ea sola unde alitur, occupatur.

Et proinde (ut in expositu vsu venit) matris qua genuit, neque sensum ullum, neque desiderium capit: ac propterea obliteratis, & abolitis natura pictatis alimentis, quidquid ita educati liberi amare patrem atque matrem vident, magnam fere partem nunquam naturalis ille amor est, sed ciuili & opinabilis. Hæc Phaurorinus ille apud Gellium.

Accedit quod Plutarchus pariter ait, nutrices; utpote mercede conductas, minus amare pueros sibi ad nutriendum datos, quos tanquam alienos habent, & alunt: ac proinde non tam caute, & diligenter, quam suos nutrire consueverunt.

Sexto quaeritur, An pater debeat alimenta præbere filio, qui est Principis, vel Reipublicæ auctoritate profcriptus? Respondeo debere alimenta vitæ simpliciter necessaria: ut si extrema inedia, aut graui labore. Sic Bartolus, Iafon, Angelus, & alii, quos citat, & sequitur Pontanus in tract. de alimentis. cap. 1. n. 15. Si tamen filius aliunde habeat, unde sustentare se possit, quamquam debet ei pater alimenta: iustus tamen de causis potest patri præcipi, ne aliquid filio suo, utpote profcripto, alimentorum causa subministrat.

Septimo quaeritur, An pater debeat alimenta filio spurio, hoc est, genito ex concubitu humanis legibus damnato; cuiusmodi fere sunt filii ex incestu, adulterio, sacrilegioue suscepti? Respondeo, Iure ciuili non debere: nam in authent. Quibus modis naturales efficiantur sui. §. vlt. Et authent. Licet patri, C. de naturalibus liber. ad finem, huiusmodi filiis alimenta detrahantur.

At vero iure Canonico pater alimenta debet etiam filiis spuris, ut constat ex cap. cum haberet, de eo qui duxit in uxorem, quam polluit per adulterium, ubi ad finem dicitur: Sollicitudinis tamen tue intererit, ut vterque liberis suis secundum, quod eis suppetunt facultates, necessaria subministrat. Et sermo ibi est de filiis spuris, & cap. per venerabilem, in fine, Qui filii sint legitimi, & ex Glossa in cap. cum haberet, communi consensu recepta, ut testantur Couarr. de matrim. 2. par. cap. 8. §. 6. nu. 7. & 8. Pontan. tract. de aliment. cap. 1. n. 11. & 12. Antonius Gomes in l. 9. Taurina num. 37. Nimirum, ius Canonicum voluit, ut æquitas naturalis in hac parte seruaretur: ius vero ciuile, æquitatis naturalis ratione posthabita, eos qui se tanto flagitio obstringunt, noluit hac lege teneri. Meo iudicio, ius ciuile non priuat filios (putios alimentis, quæ sunt vitæ simpliciter necessaria: hæc enim iure naturali, non tantum æquitate, filiis quibus licet debentur, nec possunt lege, aut potestate humana tolli. Speculat. tit. qui filii sint legit. §. 1. vers. sed pone quidam. in 12. Alberi. in l. 1. §. ius naturale. ff. de iust. & iure. Bald. ibidem. Bart. in l. si quis à liberis. §. parentes. ff. de lib. agnosce. Alexan. Domi. & Fel. quos citat Couarr. in Epit. part. secund. cap. 8. §. 6. num. 3.

Solum igitur ius ciuile admittit filiis spuris alimenta, cum possunt aliunde ali præter quam à patre. Ius vero Canonicum voluit etiam tunc, ut parentes filiis alimenta præberent, & in foro Iudiciali ius Canonicum, non ciuile, est in hac parte seruandum, ut tradit Couarruias communem sententiam sequutus.

Quætes, An Presbyter ex beneficii Ecclesiastici redditibus tuta conscientia spuræ filæ alimenta relinquat?

Nauarrus cenſet in tract. de ſpohs Clericor. §. ult. nu. 9. & ſeqq. etiam poſt conſtitutionem Pontificiam à Pio Quinto editam, qua pi accepit, ne filijs ſpurijſ ex fructibus, & bonis Eccleſie aliquid retineantur, fas eſſe Clericis alimenta filijs ſpurijſ ex bonis Eccleſie, quæ ipſi patres habent præbere: quæ ſententia quibusdam dubia, & incerta penitus videtur. ſi Nauarrus, inquit, loquatur de alimentis vita ſimpliciter neceſſarijs, vera eſt eius opinio: at ſi de alimentis, quæ ſola æquitate naturali, filijs aliunde habentibus unde vivere queant, debentur, incerta, & dubia ſententia eſt: quoniam cum filij aliunde ali, & ſuſtineri poſſint, merito prædicta Conſtitutio cauere potuit, ne Clerici eorum patres ex ſuorum beneficiorum redditibus, quæ ſunt Eccleſie bona, ipſi præſent alimenta. Nam Eccleſia bona ſunt inſtituta ad miniſtros ipſius Eccleſie alendos, & indigentium inopiã ſubleuandam.

Pius Quintus Conſtitutionem edidit Anno Domini 1570. incipientem: *Quæ ordini*: qua reuocat, & abolet omnia priuilegia, & facultates faciendi teſtamenta, donationes, ſiue inter viuos, ſiue cauſa mortis, legata, ſeu quæcunque alias diſpoſitiones ex quibuslibet bonis immobilibus, mobilibus, & ſe mouentibus; pecunijs, iuribus, actionibus, ex beneficijs, penſionibus, fructibus, & alijs rebus Eccleſiaſticis acquiſitis, nec non ex peculio, & alijs etiam ſola induſtria, labore, muneribus, ac quocunque alio modo partis, gratia quorumcunque illegitimorum ſiue ſuorum, ſiue etiam extraneorum etiam eorum, qui legitimis natalibus auctoritate aliqua ſunt reſtituti: ac redit eos inhabiles, ita vt nec ab inteſtato, nec alio modo ſuccedere in bonis prædictis queant. Abrogat omnes facultates Legatorum, Nuntiorum, Notariorum, Comitum, Collegiorum, & aliorum ſimilia concedentium. Irrita quoque facit omnia teſtamenta, & alias diſpoſitiones contra factas, & effectum nondum ſortitas, & ſimiliter ab inteſtato ſucceſſiones. Præcipit ne talia deinceps fiant cauſa illegitimorum vtriuslibet ſexus, ſiue cauſa illorum coniugum, ſiue eorum parentum, filiorum, aſcendentium, deſcendentium, cognatorum, ſiue ipſis vita functis illegitimis: ſiue viuis, etiam ſtudio, & gratia paupertatis, dotis, aut alterius cuiuſcunque pii operis: & diſpoſitiones aliter factæ nullius ſint roboris & firmamenti: & ſucceſſores in beneficijs bonis, in quibus aliter fuerit diſpoſitum, recuperare poſſint, & eis non inſiſtentibus, idem facere queant Ordinarii, auctoritate & nomine Sedis Apoſtolice. Et bona Eccleſiaſtica in feudum data, & accepta, non exiſtentibus legitimis, ad Eccleſiam deuoluantur.

Idem Pontifex aliam edidit Conſtitutionem, quæ incipit: *Ad Romanum ſpectat*, vbi eadem continentur, declaraturque prædictam Conſtitutionem etiam intelligi de quibuscunque bonis patrimonialibus immobilibus, mobilibus, & ſe mouentibus. At vero in vtraque Conſtitutione declarat, poſſe bona ſiue teſtamento, ſiue alio modo erogari in domos Hoſpitales Expoſitorum, ſiue Orphanorum. Vnum tantum poteſt Nauarrus ſententiæ fauere, videlicet prædictam Pii V. Conſtitutionem tantummodo abolere, & abrogare omnia priuilegia & indulta faciendi teſtamenta, & alias quæcunque diſpoſitiones, cauſa illegitimorum etiam extraneorum conſeſſa iure ſpeciali, non autem iure communi, quia omnia quæcunque in prædicta conſtitutione dicuntur, ſignificant abrogari priuilegia iure ſpeciali non communi conſeſſa, at iure ſpeciali ſublato, non continuo ius ipſum commune abrogatur, ſic intelligi, & interpretatur conſtitutionem deciſio Rotæ 505. 1. par. iure autem communi Canonico conceditur, vt ſpatio alimenta præbeantur: quamuis alia Deciſio Rotæ, contraria eſſe videatur prædictis.

Octauo quaeritur, An filio pœna excommunicationis affecto debeat pater alimenta præbere? Reſpondent quidam, inter quos videtur eſſe Pontanus de alimen. cap. 1. numer. 11. & 12. cum ad id nullo iure compelli: niſi quando filius alioquin edia conſumeretur, idque colligitur ex Gloſſa, & Abbate in cap. paſtorali. de appellat. vbi dicitur, nullum

commercium cum excommunicato, nec ei alimenta præſtanda, niſi alioqui eſſet fame periturus. Quæ ſententia locum habet, quando filius in excommunicatione, in quam incurrit, ſponte ſua perſiſtit, cum abſolui poſſet, ſi vellet de ſuo peccato legitime dolere, nec tamen curat: nam tunc per ipſum ſtat, quominus pater ei debita alimenta ſuppeditet: ſecus eſſet, ſi abſque culpa in excommunicatione perſeueraret. Et Gloſſa ſolum loquitur generatim, videlicet, non eſſe communicandum cum excommunicato, nec ei alimenta præſtanda, niſi fame periret.

Nono quaeritur, An pater debeat alimenta filio præbere Religioſorum vitam proſeſſo, è Monafterio tamen per iuſtam ſententiam eiſeſto? Reſpondeo debere, niſi aliunde habeat vade viuat: nam obligatio alimentorum, quæ filio debentur, in patre non eſt per proſiſſionem filij penitus extincta, ſed ad tempus ſopita, & dilata, quam diu filius in Monafterio vel alibi ſuſtentatur. Si tamen filius aliunde poteſt commode vivere, nullo iure pater cogitur ei alimenta præbere, ſiquidem eſt è Monafterio à Religioſis ob crimem per ſententiam expulſus.

Decimo quaeritur, An pater catholicus hereticum filium alere debeat? Reſpondeo: aut eger filius ſimpliciter alimentis ad vitam, & ea pater ſubminiſtrare debet: hoc enim iure etiam ob hereticum filium minime priuatur: aut non eger, quia aliunde ſibi victum quaerere, & comparare poteſt, & tunc pater liber eſt, ob obligationem alendi filium. Porro tunc filius dicitur aliunde poſſe vivere, quando habet bona propria, ex quibus ſuſtentari commode poſſit; aut habet corporis viſes, & robur & induſtriam, quibus poſſit ſi velit, ſibi victum acquirere, aut peritus eſt artis, quæ perſonæ conditionem non dedecet, qua vita neceſſaria ſibi comparat: aut amicos, vel alios habet, à quibus alatur.

Vndecimo quaeritur, quot & quibus de cauſis iure poſſit pater alimenta filio denegare? Hanc quaſtionem capite ſuperiori diſſoluimus §. 6.

Duodecimo quaeritur, An pater ſit immunis, & liber à lege, & præcepto alendi filium, ſi fundas loco alimentorum ipſi filio datus, euictus in iudicio fuerit? Reſpondeo, minime, quia nequaquam idonea alimenta filio pater in fundo, qui euictus eſt, dedit. Sic communis opinio, vt ait Pontanus de alimen. cap. 1. numer. 7.

Quæres quid dicendum, quando rem aliquam certam loco alimentorum filio à patre assignatam filio ipſe ſua ſponte conſumpſit, diſſipauit, vel cauſa amiſit? Reſpondeo, ſi filius ſimpliciter indigeat, nihil impedit eius culpa, quo minus pater ei alimenta debeat: Si vero non ſimpliciter eger, quia aliunde habeat, vnde viuat, nihil amplius ei pater debet, ſi dolo ipſe filius rem perdidit: ſi tamen non dolo, quamuis culpa amiſerit, non ceſſat in patre lex, & præceptum alendi filium, quia æquitate naturali pater alimenta filio debet, ſic communis eſt opinio teſte Pontano, loco citato. n. 6.

Decimotertio quaeritur, An filio cedenti iure alimentorum, quæ ipſi à patre debentur, eo ipſo pater ſit liber ab obligatione alendi ipſum? quod eſt quaerere, An abdicatio qua ſe filius abdicat iure alimentorum, quæ renunciatio dicitur, valeat; & an ſuper alimentis ſururiſ tranſactio ſit iure prohibita, vt colligitur ex l. cum hi ſſ. de tranſaction. Conſtans eſt opinio multorum, ſi abdicatio, ſeu renunciatio, vt vocari ſolet, vel tranſactio facta ſit abſque iudicis auctoritate, vim & locum non habere. Differunt enim alimenta à portione legitima, quod legitime iure cedere quis ſua ſponte poteſt, non tamen iure alimentorum. Sic communis opinio, vt ait Pontanus de alimen. c. 6. Deinde legitima minui ex parte poteſt, immo ex toto etiam adimi vi legis communis, vel municipalis, niſi cum legitima omnino eſſet loco alimentorum neceſſariorum, alimenta vero; nec ex parte, nec ex toto auferri queunt: vt docet Couarr. de Matrim. par. 2. cap. 8. §. 6. numer. 5. Præter ea, cauſa legitime compromitti, & tranſigi iure poteſt,

alimen-

alimentorum causa non item, non conuenit inter omnes, & testatur Pontanus loco citato.

Decimo quarto quaeritur, an si alimentorum futurorum iure se filius abdicet, & id iururando confirmet, eo ipso rata sit, & firma eiusmodi abdicatio? Duæ sunt opiniones: Prima negat, eam vilius esse momenti, nec filium iure compelli ad eam seruandam: immo nec iururandum vilius esse ponderis, & firmamenti. Sic Decius, Socinus, apud Pontanum eodem in loco quem supra dixi, immo etiam Baldus in l. Pactum, questione penultima, Bartolus in eadem lege, Fulgos. in l. cum hijs de transactione, & alii quidam, eo argumento permoti, quod huiusmodi iururandum sit contra bonos mores, & abdicatio, seu renunciatio ipsa inhumana sit, ob imminens videlicet, inopia, & egestatis periculum.

Secunda opinio affirmat talem abdicacionem ratam, & firmam esse, & filium se eo iure abdicacionem iururandi vinculo obstrictum teneri. Sic Accursius, Alexander, Iason, Federicus, Abbas, Imola, Ancharianus, Felinus, quos citat, Pontanus loco citato, & Couarruias in cap. Quamuis pactum de pactis, in sexto, parte secunda. §. 6. numero quarta. Quæ opinio videtur esse communis consensu recepta: & eo argumento comprobatur, quod huiusmodi iururandum solum contra leges, & iura ciuilia esse videatur; & id eo in foro conscientie seruari debet: neque hæc abdicatio, siue renunciatio inhumanum aliquid continet, aut cum iure naturali pugnat, quia suo iure quisquis cedere sponte potest, & filius abdicacionem, seu renunciacionem iururando firmans, potest, si velit, ab Ecclesia iustificandi abolutionem petere: & leges talem abdicacionem, siue renunciacionem, vel transactionem prohibentes, solum constituta sunt, ob priuatorum hominum commodum. Nec inde fit, vt si filius postea ad euentram vel grauem egestatem deuenierit, alimentis vitæ necessarijs privari debeat, aut possit: nam iururandum, quod inceptum, intelligi oportet sub tacita conditione, si res in eodem statu permaneat.

Ex quo perspicitur, quod ipse etiam Couarruias loco citato annorat, prædictam renunciacionem non esse probandam, si eo tempore fiat, quo inopia, & egestate graui filius premeretur, aut quando statim in grauem inopiam, & egestatem deueniret.

Decimo quinto quaeritur, Quid sit dicendum cum Titius filius generatim se abdicauit alimentis futuris, & abdicatio, seu renunciatio valuit, vt ipse iururando munita. An huiusmodi generali renunciacione comprehendantur, solummodo cibaria, an cum his etiam, quæ pertinent ad vestitum, ad habitacionem, & medicinam corpori tuendo, & curando necessaria? Conuenit fere inter omnes, intelligi tantummodo cibaria. Sic Bartolus, Angelus, Alexander, Speculator, Ioannes Andreas, & alii quos omnes citat, & sequitur Pontanus loco citato, quoniam talis renunciatio, quantum non sit iure naturali prohibita, non est tamen ciuili admodum consentanea, vnde strictim intelligenda est, ita vt minimum iuri communi detroget.

Decimo sexto quaeritur, An pater filio præterita alimenta reddere debeat, exempli gratia, vixit filius decem annis, & se aliunde, non ex bonis paternis aluit, an postea pater solvere filio debeat, ea omnia alimenta quæ præbuisset, nisi filius aliunde se sustentasset? Sciendum est, tum iure ciuili, cum Canonico alimenta alia vocari futura, alia præterita Futura dicuntur, quæ dantur alicui, vnde alii possunt futurum: Præterita appellantur, quæ danda fuerant, non sunt tamen data.

Communis est opinio teste Pontano loco citato, Patrem in foro conscientie, non esse ad alimenta præterita filio reddenda compellendum, nisi filius æs alienum contraerit, vt se ipse aleret, & sustentaret, tunc enim pater debet æs alienum solvere, Alimenta vero præterita ideo non debentur, quia dantur, vt quis alatur, & viuatur cum filius decem annis vixerit, & se aliunde absque villo ære alieno

sustentauerit, in totam ratio alimentorum, ac proinde tota legis causa cessat. In foro tamen exteriori, auctoritate, & officio Iudicis liberum est filio eorum alimentorum æstimationem à patre repetere.

Decimo septimo quaeritur, An pater ratione, & iure alimentorum, quæ filio debentur, cogatur in foro conscientie sumptus, & impensas facere, vt filius litteris operam det? Constans est omnium opinio, ad id patrem iure compelli, nisi aliunde filius in studio litterarum sustentare se possit. Appellatione vero litterarum intelliguntur ea, quibus ceteri more patrio parisi conditionis filii erudiri & instructari solent. Hic elicitur debere patrem sumptus, & impensas facere in libris filio coemendis ad studium litterarum necessarijs, & in gradu honorifico Magistri, vel Doctoris comparando, ad quem solent periti artium, vel disciplinarum promoueri.

Idem iuris est, de impensis, quæ fiunt, vt filius sit miles, Item, vt filius feminam in uxorem ducat, vel, vt filia viro nubat. Ita Pontanus, de aliment. capitulo septimo, numero quinto, & sexto. Existimant Angelus, Syluester, Tabienfis, Armilla in verbo, alimenta, hæc locum habere in sumptibus, & impensis factis in studio litterarum ad vitam filii necessarijs; Verum satis est, meo iudicio, si studium litterarum more patriæ ceteris similis conditionis filiis conueniat.

Decimo octavo quaeritur, An pater iure queat repetere impensas, quas fecit filius in studio litterarum, in quo potuisset filius commode seipsum alere, nempe ex alijs bonis, præterquam paternis? Id quidam affirmant, videlicet, patri licet eas repetere. Sic Rebuff. apud Pontanum loco citato.

Probabilius tamen alii sentiunt, si quando factæ sunt impensas, eas pater liberaliter, & gratis fecit donauitque pietate quadam paterna, non licere patri eas repetere, quia donatio à patre filio facta ob studium litterarum, vel armatæ militiæ, vim & locum habet. Si tamen non donauit, quia eas impensas fecit pater animo, & voluntate repetendi, siue computandi in legitimam partem filii, liberum ei est eas repetere, vel computare in partem legitimam.

Quæres quid dicendum, si pater eas impensas non reperit, cum tamen iure potuisset, an filius eas in commune deferre debeat, cum post obitum patris bona hereditaria inter fratres diuiduntur? Respondeo, ad id in foro conscientie non compelli, quia vero similiter creditur, eas esse à patre factas gratis, ac liberaliter, aut postea mutata voluntate, eas condonasse iure pietatis paternæ, nisi aliunde constaret voluisse patrem, vt eas filius in partem suæ legitimæ haberet. Hoc mihi videtur.

Decimo nono quaeritur, Qualia debeant esse alimenta præstanda filio? Respondeo, talia, qualia decent personam filii, cui debentur. Est autem in filio, personæ conditio consideranda ex ætate, nobilitate, professione vitæ, instituto, more, & consuetudine patriæ. Etenim, crescente ætate, crescere quoque alimenta debent: & nobilioribus pleniora alimenta debentur. Si persona itidem, pro sui status conditione, famulis egeat, eis pariter sunt alimenta præstenda, si magistris item vel pædagogis indigeat, soluenda sunt stipendia debita: si filio opus sit equis, sunt quoque nutriendi equi.

Vigesimo quaeritur, An pater iure alimentorum debeat dotem filie spurie, ex congressu legibus damnato procreatæ? Respondeo iure ciuili non debere, quia eo iure filijs spuris alimenta subtrahuntur, vt ante iam dixi: ergo cum dos sit loco alimentorum, filie spurie minime debetur. At iure Canonico etiam in foro laicorum alimenta spuris dari debent: ergo etiam dos filie spurie. Bartolus in authentica, ex complexu, C. de incestu nuptijs. Abbas in capitulo cum haberes, citato, numero quinto. sic communis est opinio teste Couarruias in epitome, cap. 3. §. 6. numer. 11. par. 2.

Si roges, An Clericus ex sui beneficii fructibus dotare

filium spurium queat? Nauarrus *Traictatu de spoliis Clericorum. §. ultimo, numero nono, & sequentibus.* Respondet, id facere licere patri Clerico, etiam post constitutionem à Pio Quinto editam. Sed probabilius esse alii dicunt, vt superius etiam dixi, lege humana alimentis ad vitam simpliciter necessariis filios quamuis spurios priuari non posse: ac cum dotes, vel alimenta non sint vitæ simpliciter necessaria, lege Pontificia sanciri posse, ne spuris ex bonis Ecclesiæ dotes, vel alimenta præstentur. Cæterum ego veritatem existimo Nauarræ sententiam: & in hoc loco habere arbitror prædictam Pii Quinti Constitutionem, eo modo tantum, quem supra dixi in hoc capitulo 6. *quæst. 7.*

Vltimo queritur, An auus, proauus, & ceteri ascendentes, siue ex parte patris, siue ex parte matris, debeant nepotibus alimenta præbere, cum pater, & mater defuncti? Respondeo, cum communi sententia, eodem iure naturali debere, quo parentes. Abbas, Socinus, Bartolus, Cynus, apud Couarruiam in *epitome parte secunda, cap. 3. §. 6. num. 16.*

### C A P. V.

#### *Alia questionem eiusdem argumenti diluuntur.*

**P**rimo queritur, Quibus de causis liceat patri filium alimentis priuare? Hanc questionem hoc libro, *cap. 3. q. 6.* diluimus.

Secundo queritur, An fas sit patri alimenta denegare filiæ, quæ abique ipsius consensu vito nupsit? Hanc quoque questionem superius *cap. 2.* diluimus, *q. 7.*

Tertio queritur, An sint iustæ eæ leges ciuiles, quæ alicubi liberam parentibus facultatem concedunt, repellendi ab hæreditate filias, quæ contra eorum voluntatem nuptias contraxerunt? Huius etiam questionis solutionem supra tradidimus *cap. 2. q. 9.*

Quarto queritur, An si alicubi statutum filias à bonis paternis excludat, admissis tantum filiis masculis, excludere etiam si intelligatur filias ab alimentis? Respondeo, minime: nam arctius est vinculum iuris quo parentes filius alimenta debent, quam illud, quo debent hæreditatem.

Quinto queritur, An ius alendi filios, ad hæredes patris transeat? Respondeo, transire: vnde filii non tantum à parentibus alendi sunt, sed etiam ab eorum hæredibus, præsertim cum filii ad summam egestatem adducti sunt, vt colligi facile potest, ex authentica *Licit. C. de naturalibus liberis, & l. si quis à liberis, §. item rescriptum est ff. de liberis agnoscendis.* & id expressim tradiderunt Bartolus, Socinus, Abbas quos loco citato refert, & sequitur Couarruias in *epitome parte secunda, capitulo 8. §. 6. num. 14.* Vnde Bartolus annotauit, filium etiam spurium alendum esse à Monasterio, in quod pater est ingressus, tanquam à patris hærede. Immo, vt scribit Ripa, quem sequitur Couarruias, donatus omnium bonorum, auctoritate, & officio Iudicis cogi debet filios donatoris etiam spurios alere.

Quætes, An huiusmodi obligatio alendi liberos transeat ad eum, qui iure emptionis, permutationis similiter contractus bona patris obtinuit? Quidam teste Couarruiam ibidem senserunt transire, eo quod bona parentum sint huic oneri subiecta, & hypothecæ supposita ad liberos alendos; & ideo eorum bonorum emptores debent alimenta filiis præbere. Id colligunt etiam ex *l. 2. ff. de alimentis legatis.* Sed hanc sententiam Couarruias confutauit, quoniam nullo iure concluditur, bona paterna huic esse hypothecæ obligata: nam lex illa citata solummodo locum habet in bonis, quæ expressim destinantur in testamentis, vel in contractibus ad alimenta alicui præstanda, vt colligitur ex *l. Lucius ff. de alimentis legat.* & docet Bartolus, Romanus, Hieronymus

Gigas, quos citat Couarruias, ex quo etiam fit, teste Couarruiam, vt vxor, cui maritus alimenta debet, nequaquam ratione alimentorum agere possit aduersum eos, qui iure emptionis possident bona, quæ mariti fuerunt.

Sexto queritur, An fiscus, in quem bona patris transferuntur ob crimen eius publicata, debeat alere filios relictos ab eo? Respondeo, cum bona publicata sunt, & fisco addita ob aliquod delictum ex iis, ob quæ secundum leges, facinorosi bonorum suorum dominio priuantur, qualia sunt, proditio patriæ, crimen læsæ maiestatis, hæresis; tunc fiscus iure non cogitur filios alere, quia ob dicta scelera parentes bona amiserunt sua, & proinde filii his priuantur, perinde, ac parentes abique vilis bonis decessissent.

Hoc tamen locum habere puto, cum filii aliunde sustentari possunt; tunc enim parentes ipsis alimenta æquitate tantum naturali debent. Quando vero nequeunt aliunde alii, fiscus eis alimenta debet: quia hæc alimenta, cum sint vitæ simpliciter necessaria, non est cur ob scelus parentum filios denegentur. Cum vero bona patris solum publicarentur sententia Magistratus, vel Principis, qui punit, & vindicat hæc pœna crimen, non quod eam pœnam in criminofum leges, & iura constituerint; tunc fiscus filio alimenta debet, quæ alioqui pater præbere æquitate naturali cogebatur. Nam cum parentes ob fugitium admissum, ipso iure suorum bonorum dominio priuari non fuerint, non est cur filii alimentis sibi æquitate naturali debitum orbentur, satis est eos à reliquis bonis paternis repelli.

Septimo queritur, An parentes ab obligatione alendi filium liberentur, si eum in publica hospitali domo, vel alio simili loco nutriendum curauerint: vt si ad portas oppidi, vel ad ostium priuatorum ciuium, diuitum, & potentum exposuerint. Respondeo, in primis; quando filius qui nascitur, vilis est, & abiectæ conditionis, qualis parentes non decet, tunc nullo iure illi coguntur eum alere per se, dummodo tamen per alios nutriendum curent, ne eorum peccatum prodatur; aut ne dedecore aliquo afficiantur. At si in hospitali domo, vel in alio simili loco publico filius nutriatur: parentes restituere debent impensas in filio alendo factas iuxta quorundam sententiam: nam alii, vt Glossa in *capit. ultimo distinct. 87.* id negant, quoniam aiunt huiusmodi domos esse institutas ad officium pietatis, in proximum, & ad istiusmodi expositos infantes, ac paruulos similes alendos: ergo parentes impensas nulla alia re compensare debent.

Sed primi fatentur id locum habere, cum parentes egeni sunt; & filios per seipos nutrire nequeunt; secus est, cum parentes filios non alunt, vt peccatum suum celet, & honorem, famam, ac decus suum tueantur. Deinde, quando filius abique vilo dedecore à parentibus alii potest, tunc & peccatum est eum apud hospitem domum nutriendum exponere; & si exposuerint, omnes impensas restituere debent, vt quorundam docet opinio, qui eos peccare inde colligunt, quod in *l. Necare, ff. de liberis agnoscendis* dicitur: *Necare videtur non tantum is, qui partum præfecit, sed & is qui abiicit, & alimentum denegat.* & qui in publicis locis misericordiam causa adificat: exponit, quam ipse non habet, vbi Glossa cuiusmodi, inquit, sunt, qui in hospitali domo, aut in scribitis adis sacra exponunt. Eos oportere impensas restituere deducunt ex *l. 1. C. de infantibus expositis. & cap. 1. De infantibus expositis.*

Alii vero putant peccare quidem parentes exponendo, sed non debere impensas reddere, quia sunt factæ pietatis gratia, & quæ pietatis causa dantur, non repetuntur, *capit. Sacrorum, duodecima, questione secunda.* Sed id locum meo iudicio non habet, quia domus hospitalis est fundata, & instituta tantum ad alendos eos, qui egent, tunc enim parentes si non egent, impensas refarcire debent.

Præterea: si parentes possint per se filium alere, sed

infans,